

Melissum, sed alios quosdam tentasse quatuor illa sua: ens esse absque principio, unum, infinitum, immobile, in syllogismum conferre, ac forte non potuerunt. Alterum ambos excusat: quando Zeno Parmenidis discipulus et Melissi condiscipulus dialecticam  
5 primus invenit, nec forte fuerat adhuc inventa, quando illorum scripta sunt publicata, atque ideo non potuerunt syllogismo concludere. Quid si non syllogismo, sed alia argumentationis forma conclusissent? An ob id et falsum id dogma ab Aristotele fuerat reprehendendum, quod ipse maxime omnium postea comproba-  
10 vit ac confirmavit, sed forsitan syllogismo etiam concluserunt, sed forte ita est ab Aristotele exceptum, ut est exceptum dogma, ca-  
villis scilicet et falsis criminationibus. Nam quod de Parmenide  
est ostensum, cum unum ens, omnia entia non dixisse de Melisso  
quoque Philoponus refert.<sup>45</sup> *Melissus enim in scriptis ad veritatem  
15 unum ens esse dicens, in scriptis ad opinionem duo dicit esse princi-  
pia entium: ignem et aquam, per extrema comprehensens etiam media,  
ut sane in his quidem de physicis loquens, quae et opinabilia vocant,  
in scriptis vero ad veritatem de intelligibilibus.* Clare hic non unum  
20 tantum ens, sed etiam duo, et inter duo alia media et entia plura  
nominat. Quare non fuit vir magnus, tanquam fatuus quispiam  
aut caecus, qui plura non videret, cavillis insectandus.

Haec de Xenophane, de Zenone, de Parmenide, deque Me-  
lisso, eximiis theologis, egregiis physiologis, cavilloso nimium ac  
falso accusatis, satis sunto.

INSTITUT  
ZA FILOZOFIJU

<sup>45</sup> ὁ γὰρ Παρμενίδης [Μέλισσος], ἐν τοῖς πρὸς ἀλήθειαν, ἐν εἶναι  
λέγων τὸ ὄν, ἐν τοῖς πρὸς δόξαν δύο φησὶν εἶναι τὰς ἀρχὰς τῶν ὄντων,  
πῦρ καὶ ὕδωρ, διὰ τῶν ἀκρῶν περιλαμβάνων καὶ τὰ μέσα, ὡς δὴ ἐν  
τούτοις μὲν περὶ τῶν φυσικῶν διαλεγόμενος, ἢ καὶ δοξαστὰ καλοῦσιν,  
ἐν δὲ τοῖς πρὸς ἀλήθειαν περὶ τῶν νοητῶν. [PHLP. in Ph. 16.55.33]